



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XLIX. Ad perfectionis culmen in Dei amore per gradus suos peruenit;
insinuanturque interna aliqua eius sensa circa hunc amorem

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

re, positum sit eorum augmentum & profectus; quemadmodum idem Pater expertus est in euentis supra positis.

CAPVT XLIX.

AD PERFECTIIONIS CVLMEN
in Dei amore per gradus suos peruenit; &
quas principales virtutes ille in se com-
tineat: insinuantur interna ali-
qua eius sensa circa hunc
amorem.



CVLMEN AD VLTIMUM annum
& postremos felicitatis vite P.
Balthassar mensis perueneri-
mus, operæ pretium erit, vlti-
mum etiam eius in spiritali vi-
ta perfectionis, quam profectus
est, proponere: procul dubio e-
nim per opera, exercitia, officia, & ministeria,
variosq; euentus, prosperos, & aduersos iam pro-
positos, quasi per gradus quosdam ascendit ipse
ad culmen perfectionis in omnibus virtutibus,
& amore Dei, quæ omnium est suprema, in quo
impletum est illud Davidis: a *Beatus vir, cuius*
est auxilium abs te: ascensiones in corde suo dispo-
suit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit. Etenim
benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in vir-
tutem: videbitur DEVS Deorum in Syon. Vir fuit ve-
re Beatus P. Balthassar, quem cœlestis legislator
præuenit in benedictionibus dulcedinis; tantaque
dedit

dedit adeoque continua auxilia; vt cum eis dis-
 sposuerit semper in corde suo nouas ascensiones,
 & augmenta in omnibus virtutibus, ab alijs in a-
 lias fortiter ascendendo: donec peruenit ad vi-
 dendum per contemplationem Deum suum; &
 amandum cum ea perfectione, qua ipse vult a-
 mari *b ex toto scilicet corde, anima, mente & viri-* *b Matth. 22.*
bus. Nec vacat mysterio in hoc præcepto, in quo *37.*
 perfectio nostra consistit, mentionem fieri qua- *b Luce 10.*
 tuor rerum, quas Deus in hoc amore sui exigit, eò *27.*
 quod alia quatuor sint in quibus amor ipse præ-
 cipue augetur ac perficitur: quas omnes largitus
 est viro huic sancto, cum quadam excellentia: vt
 in omnibus esset perfectus. Nam *primum* ma-
 gnum posuit studium in Orando & familiariter
 agendo cum diuina eius maiestate: applicans to-
 tum cor suum, animam, spiritum, & omnes suas
 vires, donec in diuino conspectu gratiam inue-
 niret, & eius spiritus cum diuino coniungeretur,
 semperque in eius præsentia ambularet, explens
 quod ipse Deus dixit Abrahamo: *c ambula coram* *c Gen. 17. 1.*
me. & esto perfectus. Quis autem dubitet, hoc esse
 magnum diuini amoris indicium, & causam magni
 in eo progressus; quamuis enim contemplatio
 (teste S. Thoma) essentialiter consistat in nobilif-
 simo intellectus actu, in cognoscenda scilicet su- *2. 2. q. 180.*
 prema veritate, quæ Deus est, visione quadam *art. 1.*
 simplici, valdeque perfectiones eius penetrante:
 simul tamen complectitur præstantissimos ac-
 tus charitatis, ex qua tanquam ex fonte ipsa con-
 templatio fluit, & ad quam tanquam ad finem
 tendit. Quamobrem S. Gregorius vitam con- *Homil. 4. in*
 templatiuam dicit esse ex toto corde seruare cha- *Ezechiel.*
 N n s rita-

ritatem Dei, & inardescere ad eius pulchritudinem videndam. Et in hoc P. Balthassar disposuit, ut vidimus, continuas ascensiones & accretiones, d. *procedens, quasi lux matutina, vsq; ad perfectam diem; & ascendens de hoc deserto delictis affluens, & innexus super dilectum suum, cui erat semper vnitus.* Valde etiam excelluit in perfecta sui ipsius mortificatione; crucifigens vitia omnia & passiones ac voluntates proprias in omni materia; contendens omnia impedimenta remouere, quæ accidere poterant in corde suo, anima, Spiritu & viribus; ut se & omnes suas facultates liberè Deo, perfectòq; eius amori, & splendore sanctissimæ eius voluntati traderet; in quo etiam, ut supra est dictum, disposuit continuas ascensiones, quam diu vixit in hac lacrymarum valle: *f. ascendens sicut virgula sumi ex aromatis myrrha & thuris;* ignis enim amoris diuini impellebat ad ascendendum & crescendum in hac abnegatione sui: ac proinde etiam in ipso amore & contemplatione. Nam (ut S. Augustinus dixit) *diminutio cupiditatis est augmentum charitatis;* & quò amor proprius magis minuitur, eò ascendit & crescitque diuinus. Et Cassianus ait, animam nostram esse instar plumæ, à qua si pulueres aut lutum, quæ in terra illam detinent, auferatur: statim sursum ascendit: ita sublatis impedimentis Spiritus liberiùs ascenditur ad Deum. Et hac ratione ascendit & progressus est ad *tertium* quoque gradum, in quo etiam excelluit, studens plenè ac perfectè præstare omnia, quæ ei iubebat & committebat Deus, tam in rebus status & officij sui, quam in ministerijs & operibus misericordiæ & charitatis in proximos: quorum animas, ut iuuaret, nullos

mullos labores refugiebat; & quæuis solatia corporalia & spiritualia facilè intermittebat, vt voluntatem Dei in iuuandis proximis exequeretur: quod excellentis valde charitatis est indicium; mediumque efficacissimum ad proficiendum in ea. Nam (vt S. Gregorius dixit) probatio amoris est exhibitio operis, & ipse Christus Dominus ait: *g si quis diligit me, sermonem meum seruat: & si diligitis me, mandata mea seruate:* & eius dilectus discipulus ait: *h qui seruat verbum eius, vere in eo charitas Dei perfecta est.* Quis autem perfectionem illam habet, quam, qui vitam suam, solatium, sanitatem, & honorem offert pro suis amicis, proximis scilicet, quos amat in Domino? cum igitur sanctus hic vir in his omnibus præluserit, vt vidimus; Signum est, perfectam illum habuisse charitatem: quamuis, quod nunquam se perfectum iudicaret, nouas semper ascensiones in ea disponebat, nouos semper aggrediens labores in vtilitatem animarum.

Ex quo *quartum* etiam ortum habuit, in quo valde eminuit, in tolerandis scilicet ijs omnibus, quæ Deus mittebat, aut euenire ei permittebat, cuiuscunque ea generis essent siue corporis, siue Spiritus, ægritudines, dolores, desolationes, internae desertiones, opprobria, & cōtemptus; hæc enim omnia tanquã à manu Domini missa amplectebatur, ac beneficia eius reputabat, ac media maioris sui profectus spiritualis agnoscēs in eisde suaue & paternã Dei prouidentiã, siue oportune eũ ex eis eriperet; siue consolaretur, vt proficeret: quod sine dubio indicatiũ est adhuc certius perfectę charitatis, quę *i paties esse omnia suffert: & eo vsq; i Corin. 13. pro- 4.7.*

Homil. 30. in
Euang.

g Ioan. 14.
23. 15.

h i. Ioan. 2. 5.

k Rom 8.35. progreditur, vt cum Apostolo dicat: *k quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* nihil horum poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro: l

l Cant. 8. 6. *Fortis enim est vt mors dilectio*: crescit quæ aduersitatibus, & calamitatibus, quas patitur; & quò persecutiones grauiores sunt, eò maiores patientia emittit splendores, sicut in occasionibus superius insinuatis P. Balthassar fecit, quò vltimam quasi posuit manum, quatuor illis præcipuis rebus, in quibus accensi sui in Deum amoris perfectionem ostendit, tanquam quatuor fluminibus fluentibus ex paradiso charitatis, & vniuersam cordis sui terram irrigantibus, vt copiosos sanctorum operum fructus, & pretiosissimos clarissimarum virtutum lapides proferret.

S E D quoniam hoc totum ex ijs, quæ in huius historiae decursu adduximus, satis sunt manifesta, solùm nunc addemus profundissima quædam sensa, quæ Dominus noster, vt eum in diuino suo amore per gradus suos perficeret, comunicauit. *Primum* enim fecit eum interne cognoscere, ac sentire præcipuum religiosi viri in statu suo studium debere esse circa feruentem Dei amorem: nam cognoui, (inquit) Religionem esse sanctitatis officinas; Xenodochia vulneratorum ab amore Dei; & fornaces in quibus diuinus hic ignis accenditur in arte amandi Deum; & calcariæ, in quibus ignis facit lapides tanquam massam mollescere. Ideoque studuit cum dulci hoc vulnere viuere, dicens cum sponsa vulnerata charitate ego sum, nec volo ex hoc vulnere sanari;

nam,

nam, cum illud habeo, est verè mea fanitas. In hac calcaria studebat P. Balthassar sese accendere, emollefcere, ac dealbare, viuxque petrae, qui Christus D. N. est, per continuum amorem & imitationem coniungere.

SECVNDVS fuit sensus, ex diuinis beneficiis ignem diuinum fouentibus, quæ enim omnibus erant communia, accipiebat atque si essent propria; & quæ propria erant, in recenti semper memoria seruabat: vt gratum se illi ostenderet; & pro eis redderet amorem & obsequium, quod meritò ipse pro eis exigit, & hoc nomine in suo libello elenchum quendam eorum habebat sub titulo: *miser cordia Domini mihi facta.* & statim eas incipit recensere, dicens ostendit mihi tenebras, in quibus fui circa omnia tam in me ipso quàm in agendo cum proximis; dedit etiam mihi cor, vt animæ meæ vlcus aperirem; desiderium humiliationis, & abiectiois; mortificationem sensualitatis; desideria sincerè & in veritate ambulandi: quod non adferat mihi tædium cura No- uitorum; prouidentiam, qua mecum semper est vsus. Et eadem ratione aliqua alia ibi refert, quæ iam superius sunt posita, quæ omnia erant in *li-* n Leuiti 6.
gna, quibus fidelis hic *Sacerdos Altissimi nutrie-* 12.
bat quotidie amoris ignem, qui in corde suo ardebat, vt magis, ac magis eum amaret, à quo tot beneficia accipiebat. Et quoniam nullum est efficacius amatorium, vt quis ab alio ametur, quàm sit illum amare: id, cuius habuit sublimiorem sensum, fuit magnus amor, quo suos Deus prosequitur: quem hac ratione explicabat. Quod Deus aliquem amet, est benè illi velle & optare; & cum
Dei

Psal. 113. 3.

Dei velle sit etiam facere, iuxta illud Psalmogra-
phi: *quaecumque voluit fecit*: ita quod Deus animam
aliquam amet, est continua quaedam misericor-
diarum eius scaturigo; & magnorum eius benefi-
ciorum pluuia; quasi Deus picturam aliquam
formare incipiat, nec à depingendo desistat. Ex
quo oritur, ut in eadem anima solida ferueant
desideria, ut occasio & materia occurrat obse-
quium Deo præstandi: & quoniam voluntatem
efficacem Deus loco obsequij re ipsa præstici ac-
cipit: aduertit animam magna lucra ad suas ratio-
nes reposita: quia desideria, & oblationes ipsius
plurimæ sunt & continuatæ. Et ex eodem funda-
mento oritur, ut in benedictionibus dulcedinis
nos præueniat, & ipsa eius dona fiant merita nos-
tra: non enim acceptat, nisi quod ipsemet donat:
qui magnus est thesaurus & solatium: siquidem
etiam pauper magnam ex eo consolationem hau-
rire potest, quod libenter det modicum illud,
quod habet, & prius accepit; & quod se ipsum o-
mniaque sua offerat, quæ magna est oblatio; &
quod voluntatem ac desiderium habeat ipsum
Dominum in sanctissimo Sacramento suscipien-
di, ut habeat quotidie, quod offerat.

Hoc totum sanctus hic vir offerebat, ut sic o-
stenderet amorem, quem erga eum gerebat, qui
adeo ipsum amabat: quare ita in suo libello ait:
Die quodam, cum post Sacrum gratias Deo a-
gerem, hunc circa modum diligendi Deum ha-
bui sensum; quod deberem ei omnia mea tradere,
meum tempus, meas delicias, amicos, & reliqua
omnia & optima, & me ipsum cum illis: siqui-
dem

dem ipse omnia sua, maxima, & minima tradit,
nullo excepto, & se ipsum optat libentius dare.
Remansit cor meum valde molle, & ad eius ma-
iestatem cum iucundo quodam sapore propen-
sum: quod reputavi magnum in me eius studium:
Et cum alio quodam die essem in Oratione, cum *10. Martii*
huius amoris aviditate: dixi Domino nostro cum *1569.*
magno quodam interno sensu, ô Domine, si cum
nullo alio, quàm tecum agerem; aut de solis re-
bus ad obsequium tuum, & bonum animarum
pertinentibus, quod tibi tantoperè placet! ô si
vel nunc inciperem opus illud, quod tu in tuo à
nobis discessu perfecisti! ô si casus ille eueni-
ret, quo cogerer à te non separari; nec dere vlla
agerem, quæ ex tua obedientia non esset! & cum
fuerit hæc oratio ex inspiratione, spem mihi fecit
Dominus gratiæ huius obtinendæ. Et sine dubio
ei indulgit: quia summè contendit exuere omnem
creaturarum amorem, qui sui creatoris amorem
relaxaret. Et quoniam hoc ipse fuerat expertus,
exhortabatur alios ad eandem amoris rationem,
dicens: tanti Deum facite, vt semper vobis vi-
deatur modicus omnis, quem habetis amor, vt
illum ei tradatis. Quod vt exactius præstetis,
colligite totum illum, quem in creaturas di-
spersum habetis: non solum quando illæ par-
ti vos faciunt; sed etiam quando vos depe-
reunt; ne videamini illas retinere, quia vos illæ
repellunt; sed ob summam æstimationem, &
reuerentiam, qua Deum prosequimini; nec
tristemini, quòd eas deseratis: Siquidem,
quod illis addicti essetis, id vos procul à
Deo separabat: Postea expericimini nullam
ia

in eis causam fuisse lætitiæ; nec nunc esse, nisi in solo Deo. Quare expedit vobis, non querere eorum amicitiam, aut familiaritatem; imò spontè ab eis oblatam repellit: & sic commodum vobis iudicabitur, quod eam etiam querentibus deneget: tunc liberius ac plenius debitum Deo amoris & obedientiæ tributum reddetis; vestrumque cor totum in eo ponetis, qui est totus thesaurus vester. Et eadem ratione iudicatur: totum vestrum tempus, modicum esse, vt Deo illud tributis: cum dicat S. Augustinus perire illud tempus, quod non in amando Deo expenditur. Et eadem ratione, quidquid vobis libet ac placet, cogitationes omnes, verba & opera, oculos, aures & reliqua omnia expendite in hoc tributo Domino reddendo.

In Manua.
c. 4.

30. Iulii.
1575.

AD hunc perfectionis gradum amoris dicit, multum sibi contulisse quod suam de ipsis creaturis deceptionem deposuerit, cum enim interior quædam querela in mente obuersaretur, de quadam persona, quod non satis responderet amori, ad quem suo iudicio ille tenebatur, hæc habuit interna valdeque vtilia sensa.

AGNOSCE, quomodo Deus tuas partes agat: grauis ac difficilis conflictus tibi fuisset: si pro voto tibi euenisset. Providentia Dei, magnæque misericordia erga te est, quod creaturæ te a se repellant; & mittant ad creatorem, facientes quod ipse iubet; & hoc (inquit) stupendis tribus modis præstant. *Primus*, quia non satisfaciunt nec, cum possidentur, desiderium tuum faciunt. Sicut S. Augustino respondebant: non ego sum Deus tuus, nec tuæ quies & solatium. *Secundus*, quod

quòd modicum illud bonum, ac dulce, quod habent, non semper tibi communicent; sed pro suo libitu, & cura tot mutationibus, atque sunt in capite capilli, quia nunquam in eodem statu permanet; à quibus omnibus dependere debet, qui illas sectabitur. *Tertius* est, quòd statim atque in aliquo alio tantillum boni, vtilis, aut delectabilis plus, quàm in nobis inueniunt: nos planè deserant: & quamuis hanc veritatem sæpius in nobis experti simus, quàm pilos in capite habeamus: nunquam tamen stultitiam nostram agnoscimus, qua ipsas creaturas sequimur, Creatoris obliti. Ex quo prouenit, vt neque Creatorem esuriamus, neque creaturis fatiemur. Illud est ergo remedium: vt illas præueniamus, inde incipientes, vbi illæ desinunt: statim illas deferentes; ne vel tempus cum eis a mittamus; & ad Creatorem transeuntes, in quo requiem, pacem, & saturitatem inueniemus, cum æterna stabilitate, quam nemo possit mutare, aut impedire. Quid quietius eo, quàm nihil desiderat? & quid eo ditiùs, qui res omnes huius mundi magnas, & splendentes, tanquam superfluas reputat? habete Deum: & nihil vobis deerit.

HABET & alia sensa Deus illi communicabat, vt eum ab omnibus creaturis auelleret, quibus sensus, vt responderet, ita se gerebat, vt nullus in eo aduerteret affectum aliquem aut oblectationem cum re aliqua particulari, etiam minima, nec cum vlla persona, quæ ipsius libertatem & ingenuitatem, qua eius anima Dominum diligebat, interturbaret, aut impediret. Longo tempore in eo laborauit, vt à corde suo obtineret, ita à creaturis omnibus se expedire, quasi in Africæ deser-

o o tis

*Vide S. Aug.
in id Psal.
40. Vniuersum
stratum
eius versasti
in infirmitate
eius.*

378 VITAE P. R. BALTHASSARIS
tis vitam suam duceret: donec tandem cum diuina gratia id obtinuit. Aduertebatur verò talis eius dispositio & animus ex tenero affectu, quo cupiebat vitam suam in aliquo angulo finire: licet multi Magnates optarent, illum apud se habere; & ipse dotes, ac talenta haberet, etiam ad loca & stationes sublimiores. Et hinc ad vltimum & supremum culmen peruenit, de quo in proximo capite dicitur.

CAPVT L.

PERFECTAM OBTINET RESIGNATIONEM, & cum diuina voluntate conformitatem in rebus prosperis & aduersis: & quadam eius de eisdem sensa.



VM VITA P. Balthassaris, veteris his, quæ hæctenus diximus, apparet, contexta fuerit varijsuentis, prosperis & aduersis in omnigenere rerum: omnes illi tanquam alæ, aut gradus fuerunt, per quos ad supremum perfectionis culmen in amore diuino perueniret, in quo locum habuit sententia illa Apostoli: *a Rom. 8. 28.* *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, siue prospera sint, siue aduersa.* Nihil quodnam maius bonum, quam eiusdem amoris & dilectionis augmentum. Et quando tale augmentum ad vltimum suum punctum in hac vita peruenisse censebitur, nisi cum quis id assecutus esset, vt idem cum Deo habeat velle & nolle in rebus omnibus corporalibus & spiritualibus, magnis & paruis; neque eligere velit, aut propendere magis